



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XIX. De magna cæcitate, quam peccatum mortale inuehit in animam,
vt non cognoscat damnum, quod accipit, nec periculum, in quo versatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

tanquam tantum malum, ut nos à Deo
separet; & sic conseruabimus vnione
charitatis, & gratiæ cum Deo, & ipse
nobis implebit promissionem, quam
fecit Iosue, quamque (vti S. Paulus ex-
plicat) cuius suo seruo facit, dicens:
*Non derelinquam te vnquam, sed ser-
per ero tecum: ita vt magnâ cum
duciâ possimus dicere cum David:
Dominus mihi adiutor, & defensor
omnibus tribulationibus, ac periculis
meis; quare non timebo, quid mihi malum
facere possit homo; nam Dominus est
modo, qui bono animæ meæ conue-
nientissimus erit, me liberabit.*

*De magnâ cecitate, quam peccatum mortale
inuehit in animam, vt non cognoscatur
damnum, quod accipit, nec pericu-
culum, in quo ver-
satur.*

C A P. XIX.

Aliud malum, ac damnum, quod
peccatum mortale animæ inferit.

a Ios. 1. 6. Ad Hebr. 13. 5. b Ps. 117. 6.

est ingens quædam cæcitas, quæ illam impedit, quo minùs eiusdem peccati grauitatem, iniuriæ, quæ per id Deo fit, magnitudinem, bona, quæ perdit, damna, quæ accipit, & pericula, in quibus uiuit, probè cognoscat. Hunc luctuosissimum peccati effectum diuina Scriptura multis in locis testatur. Apud Sophoniam ait: *a* *Ambulârunt, & conuersati sunt, vt caci, quia Domina peccauerunt*; hinc eorum cæcitas orta est, ex peccato, quod commiserunt. *b* Et apud Isaiam, *quis, inquit, cæcus, nisi qui venundatus, deditusque peccato est?* Quasi dicat: homo corporali visu priuatus, non est cæcus, si comparetur cum peccatore, qui visu animæ priuatus est. Hunc titulum peccatores in sacris litteris habent; vnde vt significant, Christum ad saluandos peccatores venisse, dicunt venisse eum, *vt aperiret oculos cacorum*, *c* & cæcos de cæcitate, in quâ erant, educeret, eosque *faceret ambulare in viâ cœli, quam ignore-*

I 6

raue-

a *Soph. 1. 17.* *b* *Is. 42. 19.* *c* *Is. cit. 7. & 16.*

raverunt. Et idcirco peccata tenebræ
 vocantur; quemadmodum ea Dæmones
 vocat, dicens: *a Nesciērunt, neque intellexerunt*
veritatem, quia in tenebris hoc est, in peccatis
ambulant. *b* Et Ecclesiastes de peccatore loquens,
Stultus, inquit, in tenebris ambulat. Tenebræ
 vocantur, quia sicut corporales tenebræ
 obscurant, & impediunt visum corporeum,
 sic peccata visum spirituales. Et peccatores ipsi
 vocantur tenebræ, quia tenebris peccatorum,
 quæ prædominantur, habentque dominium
 in eos, pleni sunt. Ita S. Paulus illos vocat,
 ad Ephesios dicens: *c* *eratis aliquando tenebræ:*
 Et Dæmones asserens esse *rectores tenebrarum,*
 id est, peccatorum, quos voluntati suæ
 subiectos habent. In primis Dæmones
 excæcant, & obscurant peccatores
 in tenebris peccatorum, ne videant
 damnum, quod accipiunt, & æternæ
 damnationis periculum, in quo versantur.

Quem-

a Psal. 81. 5. b Eccles. 2. 14. c Ad Eph. 5. 8. & 6. 12.

Quemadmodum fur, qui de nocte ad expilandam domum venit, lumen, quod in ea est, extinguit, ne damnum, quod struit, appareat: & quemadmodum piscator aquam turbidam reddit, ne pisces videant hamum, quo eos capit: sic Diabolus ut animam deprædetur, spolietaque bonis gratiæ, quæ habet, & captivam abducatur, & fraudibus suis occidat, aufert ei claram, quam de divinis rebus habet, cognitionem, ipsamque peccatorum tenebris excæcat, & obscurat. Ita fatetur David dicens: *a*

Persecutus est inimicus meus animam meam: collocavit me in obscuris, ac tenebrosis locis, cuiusmodi sunt, in quibus sepulti sunt multorum seculorum mortui. Adeo magnæ obscuræque sunt spirituales tenebræ, quas Dæmones animabus offundunt, ut eas David comparet corporalibus tenebris, in quibus mortui à multis seculis absconditi sub terrâ iacent. Ingens omnino, manifesta que peccatoris cæcitas est,

I 7

qui

a Psal. 142, 3.

qui cum sit in Dei præsentia, sciatque
 videri se à Deo, qui est iudex viuorum
 ac mortuorum, & Dominus infinitæ
 magnitudinis, ac potentia, qui est in-
 finite iustus, & rectus, qui omnibus
 oculis afficit, afficitque quotidie terri-
 bilissimis pœnis peccatores, & qui ni-
 lum peccatum impunitum dimissurum
 est, audet tamẽ eum offendere, & præ-
 sentem peccatis violare, & aduersus
 eum pugnare, ipsumque ad iracundiæ
 timore, & respectu omni posthabito
 prouocare: Et cum sciat, se conse-
 quendo in mortale aliquod peccatum
 eodem momento perdere infinitum
 bonum, qui Deus est, & gratiam, qua
 ipsum amicum illius facit, & gloriam
 quæ non habet finem, & mortem culpæ,
 quæ ipsum ad æternam ducit dam-
 nationem in animã suam intrare; non
 tamen veretur peccare, & propter cõ-
 modum, gustumque vilem alicuius crea-
 turæ, perdere vult hoc totum bonum
 & totum hoc damnum incurrere: Et
 cum sciat, ne momentum quidem in
 hac

hac vitâ securum esse, quandoquidem innumeri homines manè viui, valentesque surgunt, & nocte appetente, mortui sunt, vel vespere sani cubitum eunt, & manè exanimes reperiuntur, & quia sunt in peccato mortali, pereunt, atque damnantur: cum item sciat, homines innumerabiles mortibus repentinis opprimi, & confitendi, agendaque pœnitentiæ tempore, & commoditate excludi, alios, licet tempus eam agendi habeant, non tamen sufficientem agere, propter difficultatem, quæ in hoc est, & propter occulta Dei iudicia, qui ipsis in pœnam præteritorum peccatorum negat efficax ad agendam illam auxilium: Et cum ei hoc idem, quod illis, accidere possit, quippe qui nihilo magis illis privilegiatus sit, nec plus securitatis habeat; audet tamen peccatum mortale committere, in eoque per diem, vel per horam manere, vocans in tantum dubium, tamque evidens discrimen rem usque adeo summi momenti, vt est salus; rem,

in

in quâ agitur aut de æternùm regnan-
do cum Deo in cælo, aut de æternùm
apud inferos ardendo. Res est incre-
dibilis stuporis, hominem rationis, ac
iudicij compotem, tantum subire du-
bium, ac periculum negotij in perpe-
tuum concludendi, quod tanti ipsius
interest. Siquis suorum temporalium
bonorum partem trans mare mittat,
eam securam reddit, soluendo certum
quid pro centum; & vitæ corporali,
quam aliquando, quocunque modo,
amissurus est, si quem periculosum lo-
cum, à prædonibus vel hostibus infel-
sum transeat, cauet, circumspiciendo
comitatum, à quo defendatur; & si in
morbum periculosum incidat, magno
cum labore, diligentia, sumptuq; ean-
dem in tuto collocare studet: Et ta-
men quòd, cum statim absq; vllâ mo-
râ per pœnitentiam, bonamque vitam
possit regnum cælorum, & vitam æter-
nam, & libertatem ab æternis tormen-
tis in tuto ponere, id non faciat, sed in
commisso mortali peccato maneat, vel

alia

alia de nouo cōmittat; quodque, cum in tam manifesto damnationis suæ periculo versetur, contentus uiuat in huius vitæ miserijs, & vanè peccatorum, in quibus iacet, voluptatibus lætetur; hæc verò extrema, stupendaque cæcitas est, nec obscurus tam malæ rei, quàm est peccatum mortale, tanti que impostoris spiritûs, quantus Diabolus est, effectus. Magnâ ratione dicit Ecclesiasticus: *a Error, & tenebra peccatoribus concreata sunt.* Ipsi voluntariè peccatores facti sunt, & peccâdo causa fuerunt errorum, tenebrarum, & cæcitatibus, in quâ versantur. *b* S. Thomas de Aquino hanc peccatorum cæcitatē adeò mirabatur, vt magnâ cum exaggeratione diceret, nescire se, nec posse huius rationem inuenire, quod homo Christianus in peccato mortali existens, gauderet, vel rideret, vel in vllâ occasione voluptatem caperet, cum sciret, se inimicum habere Deum, qui

*a Ecclesiast. 11, 16. b Ferdin. de Castillâ
p. 1, l. 3, cap. 37.*

qui est tota nostra lætitia, & consolatio. Magna hæc cæcitas est, quòd homo licet sciat id, quod facit, mortale peccatum esse, tamen adeò exiguum sensum habeat illius, quod Deus meretur, & boni, quod ipse perdit, & damni, quod per peccatum accipit, in illud audeat consentire. Verùm mortale peccatum in homine, qui committit, in eoque induratur, aliã hac longè maiorem cæcitatẽ efficit, quòd nimirum is multa grauiã peccata faciat, neque agnoscat, neque sentiat peccata esse, neq; sibi persuadeat, se propterea pœnas Deo daturum, nec animaduertat, Dei legi contraria esse, nec illius metum habeat, neque conscientiaẽ remorsum. ^a De hac cæcitate S. Gregorius, *Sapè, inquit, mens reuera cernit, nec tamen audenter contra peruersa se erigit; & renitens vincitur, dum hoc ipsum, quod agit, diiudicans, carnis suae delectatione superatur. Aliquando verò oculus intellectus obrunditur, & postmodum*

^a D. Greg. l. 7. cap. 6. 16.

*dum captus animus per exteriora desideria
vagatur, ut ceca mens, quò ducitur, ne-
sciat, & carnis suæ illecebris sese libenter
subdat. Hæc S. Gregorius. Et licet ma-
gna cæcitas, grauiſque pœna Dei sit,
hominem non facere bonũ, quod co-
gnoscit; tamen adhuc maior cæcitas,
grauiorque Dei pœna est, id non co-
gnoscere. Sic idem Sanctus ait: a *Ex
pœnâ præteritæ culpa est, videre bonum,
quod homo agere debeat, & tamen im-
plere non posse, non quòd impossibile,
sit, sed propter suam imbecillitatem,
& difficultatem, quam in eo inuenit:
verũ ex grauiori pœnâ culpa, quid agere
boni, & peccatum, quod fugere debeat,
nec cognoscere, nec videre. Nec excu-
satur homo à peccatis, in quæ per hanc
cæcitatem incidit: licet enim non ad-
uertat, neque consideret peccata esse,
tamen poterat id aduertere, & consi-
derare cum inspirationibus, & auxi-
lijs, quæ ad id faciendum à Deo habet.
Et quia sunt etiam voluntaria peccata,*
&*

a l. 14. mor. 6. 13.

& quibus consensit in ipsorum causa
 quæ est, quòd priùs sciens, prudens
 multa graua peccata commiserit, qui
 pro talibus habebat, agnoscebatque
 lumine rationis, ac Fidei, quod Deus
 illi dederat; & in pœnam, quia hoc lu-
 mine non est vsus, permisit eum Deo
 iusto suo iudicio, in tantam deuenire
 cæcitatem, vt graua committat pec-
 cata, æterna damnatione digna, nec
 iudicet, nec agnoscat peccata esse. Sic
 gentilibus euēnit, qui pro veritate
 multos perniciosissimos errores, & pro
 re licitâ multa enormissima peccata
 habuerunt. *a* Id testificans de eis S.
 Paulus, quia, inquit, cum cognouissent
 Deum, non eum glorificauerunt, obedi-
 endo ipsius mandatis, & gloriam eius
 quærendo, *stulti facti sunt, veræ sapien-
 tiæ expertes, & pleni obscuritate, et-
 rorumque tenebris: Et quia per vitam
 non probauerunt se Deum habere in noti-
 tiâ, tradidit illos, idem Deus in reprobum
 sensum, sinens eos iusto iudicio, per-*
 uer-

a Ad Rom. 1, 21.

versè de diuinis rebus sentire, & iudicare, & eligere res reprobas, quæ hominibus ratione præditis *non conueniebant.* Hoc ipsum suo modo accidit multis Christianis, qui in multis gravibus peccatis superbiæ, ambitionis, avaritiæ, illicitarum, iniustarumque negotiationum, & omissionũ operum charitatis in casibus obligantibus iacent, nec propter magnam, in quâ versantur, cæcitatem, agnoscunt, nec iudicant peccata esse; & Deus permittit ipsos in hanc cæcitatem incidere, quia lumini veritatis, quod eis dederat, restiterunt. Hoc S. Gregorius explicat his verbis: *a Ex superbiâ, & malitiâ, quâ peccatores nolunt facere, quæ cognoscunt, & deberent facere, permittente Deo agitur, ut nec cognoscant iam bona, quæ deberent amare, nec bona opera, quæ deberent exequi, sed sua eos cæcitas à veritatis lumine funditus excludat.* Et procedit hæc cæcitas ulterius, ut non solum homines valdè mali pro re
lici-

a D, Greg l, 16, mor, c, 26,

licitâ habeant multa graua peccata
 quæ faciunt; sed permittit etiam Deus
 vt homines, qui virtutem, ac spiritum
 profitentur, Deoq; seruire statuerunt
 quia aliquam superbiam, vel alia vo-
 luntaria peccata admiserunt, cadant
 in hanc cæcitatem habendi pro virtu-
 tibus multa vitia, multasque culpas
 pro bonis operibus. Iram, & crude-
 litatem habent pro iustitiâ, rigorem
 excessiuum pro rectitudine, abstinen-
 tias, austeritatesque superfluas, qua
 vitam notabiliter breuiant, pro verâ
 abstinentiâ, iustâque, & sanctâ morti-
 ficatione; tenacitatem, & auaritiam
 habent pro prudentiâ, & virtute vo-
 luntariæ paupertatis; pusillanimita-
 tem, timorem, & nimiam collectionem,
 quâ difficilia charitatis, ac misericor-
 diæ, aliarumque virtutum opera fu-
 giunt, habent, & iudicant pro humili-
 tate, ac religione, quâ secessus, oratio,
 & contemplatio amatur. Hæc, aliaque
 vitia pro virtutibus habent, & per vir-
 tutis speciem ijs consentiunt, eaque
 exe.

executioni mandant propter cæcitate-
tem, quam in ipsis peccatum efficit. Ita
notat S. Isidorus his verbis: *a Inter-*
dum sub pretextu iustitia, crudelitas agi-
tur: virtutem parcitatis, paupertatis-
que tristis tenacitas imitatur; & dicitur
virtus humilitatis, quod tamen vitium est
humani timoris. *b* Sanctus item Gre-
gorius hanc deceptionem notans, *ple-*
rumque, inquit, *quedam se nobis vitia*
sub specie virtutum tegunt, & quasi blan-
dâ ad nos facie veniunt, nosq; feriunt.
Hæc est ingens cæcitas, quam pecca-
tum parit; atque hæc gravitatem illius,
malitiamque manifestat. O quanta,
quamque formidabilis est Dei offensa,
quæ tam malum, tamque animabus
perniciosum producit effectum! O
quanta, quamque terribilis pœna est,
quâ Deus permittit peccatorẽ in tam
periculosam devenire cæcitate, ut
nec sentiens, nec considerans multi-
plicet in dies peccata, & ad mortem,
dam-

a D. Isid. l. 2. de summ. bon. cap. 25.

b D. Gregor.

damnationemq; æternam currat! Tameam
 meamus culpam, quæ tantum damnum
 num importat: expellamus per poenitentiam
 peccatū, quod tanti mali causa in animabus
 existit: audiamus Apostolum, qui ad id nos
 hortatur, dicens: *a Nox* præsentis vitæ, quæ
 errorum, culparumque tenebris pleena
 est, iam magnâ ex parte præcessit, dum
 autem clarissimus æternitatis iam
 propinquat, dum ad vitæ finem accedimus.
Abijciamus opera tenebrarum, quæ
 sunt peccata, & induamur bona opera,
 quæ sunt arma spiritualia, & sunt lux,
 & ex viuæ Fidei luce oriuntur, quibus
 nos ab inimicis nostris defendamus:
 & honestè, virtuoseque ambulemus, pro-
 gredientes in bonâ vitâ, tanquam ho-
 mines, qui viuunt tempore legis gra-
 tiæ, & in Dei præsentia con-
 uersantur.

a *Ad Roman, 12. 13.*